

Principium hoc fidei theologicum constat *ex parte materiali* (constitutiva) seu *fons*, et *ex parte formalis* (directive) seu *norma* (criterio seu regula sensu strictiore). Fons fidei Christianae est *revelatio scripta et verbo tradita*: *S. Scriptura et traditio* (materialis); norma autem est *propositio ecclesiae* a Christo institutae, quae tum docendo fit, tum judicando, ergo tum *doctrina* (ordinaria vel extraordinaria) est, tum *sententia*.

Ex principio fidei catholicae sequitur S. Scripturam non esse unicum fidei fontem nec normam, sed alterum esse fontem traditionem, normam autem doctrinam ecclesiae. Hinc sensus Scripturae ex altero fonte scil. ex traditione et ex norma fidei scil. propositione ecclesiae colligendus est; ergo ecclesia traditione nixa atque infallibilis est interpres S. Scripturae authentica. Quum autem ecclesia simul sit praeco verae fidei e Scriptura et traditione haustae, lectio S. Scripturae, etsi saepe utilis, tamen omnibus fidelibus necessaria non est.

E contrario protestantes S. Scripturam unicum fontem ac solam religionis Christianae normam habent, ecclesiamque docentem a Christo institutam et infallibilem negant. Consequens est, S. Scripturam ab omni externo respectu libere, ergo sine respectu traditionis atque ecclesiae esse explicandam, ejusque interpretem non esse alium, quam Scripturam ipsam, aut Spiritum Sanctum cuique assistentem, aut rationem humanam, lectionemque Scripturae omnibus esse necessariam.

Hac ergo sectione agitur

Capite primo De principio (fonte et norma) fidei, quod non est sola S. Scriptura, quia ad id non est apta, et quia Christus alium fontem aptiorem instituit, sc. traditionem, et aliam normam, sc. ecclesiae propositionem.

Capite secundo De authentica Scripturae interpretatione ab ecclesia catholica.

Capite tertio De interpretatione protestantica.

SECTIO TERTIA.

Heuristicā catholica.

§ 108.

Principium interpretationis catholicae.

Hermeneutica rationalis praecipit, ut in S. Scriptura explianda consuetudinis sermonis, contextus et conditionis loquentis (internae atque externae) ratio habeatur. Cui legi hermeneutica Christiana addit, respectum inspirationis esse habendum. Hermeneutica autem catholica, probe sciens, Scripturam non solum *librum* esse eumque *inspiratum*, sed etiam *alterum fidei fontem ecclesiae commissum*: insuper praescribit, ut ratio authenticæ atque infallibilis ecclesiae interpretationis habeatur.

Regula haec interpretationis catholicae ex principio fidei catholicae fluit, — sicut ex principio fidei protestantico fluit regulæ hujus neglectus.

Principium est ex quo aliquid consequitur, seu cui aliquid superstruitur. *Principium religionis* (regula fidei sensu latiore) est id, quod rationem continet, quid et cur objectum fidei sit, seu cur hae et non aliae veritates pro revelatis accipientur. Principium fidei catholicae *vulgare* utique est doctrina ecclesiae infallibilis. Sed principium *theologicum* (objectivum) est S. Scriptura et traditio sub magisterio ecclesiae infallibili, ut concilium Vaticanum docet: »Fide divina et catholica omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab ecclesia sive solemnī iudicio, sive ordinario et universalī magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.« (Constit. Dei Filius. cap. 3.)

CAPUT PRIMUM.

De principio (fonte et norma) fidei.

§. 109.

Scriptura sola non est idoneum fidei principium.

Propositio. S. Scriptura non est idonea unico fidei principio (fonti et normae), quia a) non continet totam doctrinam Christianam, sed supplemento indiget, b) multis locis est obscura et interprete indiget, c) multis inaccessibilis est et praecone indiget. Demonstratur per partes.

1. — *S. Scriptura non continet totam Christi et apostolorum doctrinam; et quidem nec singuli libri, nec omnes universi omnia complectuntur, quae illi praedicarunt.*

Probatur

1. Aperto librorum sacrorum testimonio. Evangelistae frequenter testantur, multa vitae et dictorum Christi, praesertim ea, quae redivivus discipulis dixerat, esse praetermissa. E. g. Luc. 24, 27. Act. 1, 3. S. Joannes expressis verbis testatur: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus... quae non sunt scripta in libro hoc.* (20, 30.) *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* (21, 25.) S. Paulus doctrinam ore traditam multis locis enixe commendat (I. Cor. 11, 2. II. Thess. 2, 14. II. Tim. 2, 2.); quum tamen si Scriptura satis fuisset, ad illam certe discipulos relegasset.

2. *Natura librorum sacrorum.* Inter omnes constat, libris Antiqui Test. historiam, leges, ritus, monita contineri, doctrinam autem fidei morumque systematice non tradi, sed supponi. Libri autem Novi Test. singuli totam doctrinam Christianam continere non possunt, quia sunt ex occasione et ad proprium finem scripti, certisque casibus et indigentias accommodati. At neque omnes universi integrum sistema dogmaticum et morale exhibent. Quum enim Christus nec exemplo, nec pracepto apostolis scripti mandasset, apostoli totam ejus doctrinam integrum conscribere non potuerunt, nisi ad hunc finem conspirassent, et pensum inter se divisissent. Sed talem conspirationem historia ignorat, imo eam occasio et natura librorum excludit.

3. Scripturam fontem incompletum esse testantur Patres.

Tertullianus, de quibusdam dogmatibus et legibus dicit: »Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetenditur auctrix.« (Coron. mil. c. 3.) Deinde S. Chrysostomus ait: »Est perspicuum, quod non omnia tradiderunt (apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna.« (Hom. 4. in II. Thess.) S. Epiphanius scribit: »Sed et traditione opus est, neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt.« (Haeres. 61.) Et S. Augustinus: »Sunt multa, quae universa tenet ecclesia, et ob hoc ab apostolis bene preecepta creduntur, quamquam scripta non reperiantur.« (I. De bapt. c. 23.) Similiter S. Stephanus papa, S. Basilius, S. Hieronymus et multi alii.

4. Revera quaedam doctrinae et disciplinae cum dogmate conjunctae, et ab omnibus Christianis (etiam protestantibus) plerumque acceptae in Scriptura desunt. E. g. definitio canonis Scripturarum, valor baptismi parvulorum et a haereticis administrati, formula baptismi, dies dominicus loco sabbati celebrandus, lotio pedum a numero sacramentorum excludenda, esus sanguinis et suffocati permissus.

Si autem S. Scriptura non totam doctrinam revelatam continet, et si Deus hominibus fontem defectivum dare pro sua sapientia non potuit: consequens est, ut Scriptura alio fonte ac supplemento indigeat, neque unicus fidei fons esse possit. Alter autem ille fons, ut ex locis Scripturae et Patrum citatis elucet, est doctrina ab apostolis viva voce tradita et in ecclesia conservata.

2. — *S. Scriptura multis in locis est obscura et intellectu difficilis.* Obscuritas haec praesertim ad locos dogmaticos pertinet; narrationes autem historicae, et doctrinae frequentius atque uberioris propositae, saltem pro rei peritis, plerumque satis perspicuae sunt. Obscuritatem Scripturae probant sequentia.

1. Ipsa S. Scripturae verba. Princeps apostolorum obscuritatem epistolarum Paulinarum fatetur: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* (II. Petr. 3, 16.) Quid ergo dicamus nos, multis saeculis ab aevi biblico remoti, ab orientalium cogitatione et moribus alieni, si jam aequales et concives Scripturam difficulter intellexerunt?!

2. *Professio Patrum*, tempore et moribus, partim etiam lingua rebus biblicis propinquorum.

Origenes, qui magnum ingenium totamque vitam studio Scripturae impedit, ait: »Scriptura revera multis in locis est obscura.« (Cels. IV.) *S. Hieronymus*, vir sane in Scripturis perquam exercitatus, de Philippo diacono Scripturam eunicho explanante loquens dicit: »Haec a me perstricta sunt breviter, ut intelligeres, te in scripturis sacris sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi... Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars, quam sibi omnes passim vindicant. (Scribimus indocti doctique poëmata passim.) Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant.« (Ep. ad Paulin. 53, n. 6.7.) Et *S. Ambrosius* vere ac pulchre dicit: »Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem prophetarum aenigmatum.« (Ep. 44. ad Constantium.) *S. Augustinus* post aetatem in studio Scripturae consumptam professus est, se in ea multo plura nescire, quam scire. (Ad Januar. ep. 55, 21.) Similiter loquuntur alii, revera Scripturae peritissimi. Scripturae obscuritate factum est, ut Patres primorum saeculorum (Papias, Pantaenus, S. Ignatius, Hegesippus, Clemens Alex. etc.) tantam investigandae, defendendae ac commendandae traditioni apostolicae darent operam.

3. *Scripturæ natura*. Scriptura narrationes et doctrinas continet, tempore, loco et lingua nobis alienis scriptas. Deinde continet revelationem, prophetias, sensum spiritualem, sublimia et profunda Dei mysteria, sapientiae humanae impervia. Insuper Scriptura non integrum nec ordinatam proponit doctrinam; quum tamen quaevis doctrina vel narratio nisi integra et systematica perfecte intelligi non possit. His autem nonnunquam etiam corruptio textus et difficultates subjectivae accedunt: opiniones praejudicatae, pravi affectus, superbia, lucri studium, cupiditas nova dicendi etc., quae saepe intelligentiam Scripturæ impediunt.

4. Obscuritatem Scripturæ confirmat *experientia*. Per undeviginti namque saecula sententiae diversissimae, absurdissimae, impiae, perversae ac societati adversae sacris Scripturis suppositae sunt vel ex iis sophisticè probatae. Omnes fere haeretici antiqui et novi errores suos e S. Scriptura male intellecta prompserunt, vel ejus auctoritate fulcire conati sunt, quod et protestantes fecisse satis constat.

5. Ceterum ipsi protestantes perspicuitatem Scripturæ jactantes, quandoque obscuritatem ejus fateri coguntur.

Lutherus, etsi in articulis a Leone X. damnatis asseruit »Scripturam per se esse certissimam, facillimam, apertissimam interpretem«, tamen haud sibi constans in Praefatione in Psalter. scribit: »Scio impudentissimæ esse temeritatis eum, qui audet profiteri, unum Scripturæ locum a se in omnibus partibus intellectum.« Et alibi (Sympos. c. 1.) dicit: »In Scripturis vix scimus abc et adhuc non recte.« Alter autem protestans (Werenfels) hunc versiculum de Scriptura compositus:

Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua.

Similiter loquuntur multi alii protestantes.

Imo omnes protestantes Scripturæ obscuritatem profitentur, inumeros libros hermeneuticos, isagogicos, archaeologicos et philologicos, item multos commentarios consribentes. Et historia protestantismi testatur, apud eos quot capita tot sensus et centenas sectas, locis bibliis placita sua probantes, inveniri, — non obstante magna Scripturæ perspicuitate. Et verba Christi revera valde clara: »Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus« jam plus quam ducentas interpretationes apud eos passa sunt.

Si autem S. Scriptura obscura est, certe *interpretatione et interprete*, etquidem auctoritate sibi simili seu divinitus instituto, indiget. Interpretatio illa est traditio et interpres authentica ecclesia ejusque doctrina. Attamen Scriptura traditione et doctrina ecclesiae illustrata satis clara est. Ratio autem obscuritatis est, homines ad societatem religiosam et vivam interpretationem a Deo institutam compellere.

3. — S. Scriptura non est omnibus hominibus accessibilis, seu omnes ea uti multis de causis nequeunt. Nam

1. Plurimis hominibus lectio S. Scripturæ hodie quoque physice impossibilis est, pūta pueris, caecis, aegrotis atque omnibus iis, qui litteras nesciunt. Et usque inventionem artis typographicae paucissimi sibi volumina Scripturæ comparare potuerunt.

2. Inter eos, qui legere sciunt, perpauci tantum linguam Scripturæ originalem intelligunt, textumque primigenium in magna lectio- num variantium copia reperire possunt. Atqui Scriptura nisi lingua ejus et textus originalis legatur, unicus fidei fons ac norma non est; versiones enim et emendationes textus jam interpretationes sunt.

3. Maxima pars hominum aliis curis ac negotiis occupati, Scripturæ legendae studiisque biblicis vacare, et ex S. Scriptura sibi credenda agendaque colligere atque componere nequeunt.

4. Etiamsi omnes homines res fidei et morum ex Bibliis discere possent, tamen eas nonnisi *post diuturnum studium*, multi sub finem vitae addiscerent. At regula fidei simul vitae regula est, quae actus hominis a puero moderetur, oportet.

5. Plurimi homines, antequam sibi regulam fidei morumque ex Bibliis constituerent, *erroribus ac passionibus succumberent*, quae eos a Scriptura intelligenda et vera religione invenienda impedirent.

Ergo etiamsi S. Scriptura totam Christi et apostolorum doctrinam eamque claram contineret, tamen a plerisque consuli atque utiliter legi non posset, sed *praecone* qui eam promulgaret, *indigeret*. Praeco ille divinitus constitutus est *vivum ecclesiae magisterium*.

§ 110.

Fons fidei a Christo institutus est traditio.

1. — Multi, imprimis protestantes, naturam traditionis male intelligunt. Est autem *traditio* sensu catholico: doctrina revelata et dispositio a Christo apostolis, et ab apostolis primae ecclesiae verbo ac opere tradita, sed mox a discipulis apostolorum conscripta vel variis institutis effecta, et postea in praedicatione et usu quasi in conscientia ac memoria ecclesiae per successionem generationum conservata et ab infallibili ecclesiae magisterio custodita.

Doctrina (et dispositio) haec ore tradita est *traditio materialis*. Traditio autem *formalis* est ipsa praedicatio et usus. Traditio materialis est aut dogmatica (constitutiva), aut exegetica (declarativa), aut practica (disciplinaris). Prima continet doctrinam fidei et morum revelatam, sive sacris litteris consignatam, sive non; secunda continet sensum S. Scripturae; tertia primum ab apostolis derivatum.

Traditio autem *metonymice* accepta in *monumentis* traditionis consistit, quae sunt: scripta theologicica, apologetica, polemica, exegetica, homiletica SS. Patrum et aliorum scriptorum non tantum catholicorum, sed etiam haereticorum ac gentilium, fidei ecclesiae testium; deinde praxis ecclesiae et instituta, liturgiae, symbola fidei, decreta conciliorum et pontificum, inscriptiones ac picturae catacumbarum, templorum, sepulcrorum, aliaque primae aetatis Christianae monumenta. Haec omnia collecta magnam bibliothecam, centena voluminum efficiunt, ut videre est in *Patrologia a Migne edita*.

Traditio non tantum fons dogmaticus est, sed etiam fons historicus. *Traditio historica*, quam sit antiquissima, a viris fide dignissimis

conscripta et plurimis monumentis conservata, utique maximam auctoritatem habet.

2. — *Propositio I. Fons fidei Christianae a Christo institutus, originalis (apostolicus) et antiquior non est Scriptura (saltem N. T.), sed traditio.* Probatur sequentibus.

1. *Christus Dominus nihil scripsit, nec unquam apostolis ut scriberent mandavit; sed sicut ipse viva voce evangelium per totam Palaestinam praedicavit, ita etiam apostolis verbalem praedicationem injunxit. Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* (Matth. 28,19.20.) *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae.* (Marc. 16,15.) *Qui vos audit, me audit.* (Luc. 10,16.) Conf. Matth. 10,27. Christo ergo vivente unicus fidei fons fuit praedicationis seu traditio. Quum autem Christus de terris discessit, doctrinam suam in memoria atque conscientia discipulorum depositam reliquit.

2. *Apostoli mandato Christi obedientes statim post adventum Spiritus S. docere ac praedicare cooperunt. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* (Marc. 16,20.) Ultra decennium praedicarunt, nec quisquam eorum vel unum verbum scripsit; quidam post plura demum decennia et pauca, plurimi nunquam scripserunt. Totam certe doctrinam Christi praedicarunt, sed partem tantum ejus, data occasione et conditione singularium ecclesiarum hominumque postulante, litteris mandarunt, sine occasione non scripturi.

Verisimile est apostolos in mundum discessuros symbolum et brevem biographiam Christi (protoevangelium verbale) composuisse, dehinc fidelibus viva voce (ad modum halakhae verbalis rabbinorum) proponenda, quum eo tempore nullus Novi Test. liber vel ad summum primum evangelium essisteret. Post dispersionem autem apostolorum ecclesiae praedicatione condebantur, catechumeni viva voce instituebantur, non autem libris vix editis vel vixdum notis. Veritas doctrinae non ex scriptura, sed ex traditione dijudicabatur. Tempore ergo apostolorum unicus fidei fons erat traditio.

3. *S. Paulus fidelibus aut doctrinam tantum verbalem, aut vero et verbalem et scriptam aequa commendat, imo aliquando praedicationem verbalem unicum fidei instrumentum asserere videtur. Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* (II. Thess. 2,14.) Et ad Timotheum scribit: *Formam habe sanorum verborum, quae a me*

audisti. Bonum depositum custodi. Et quae audisti a me per multis testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. (II. Tim. 1, 13. 14. 2, 2.) *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* (Rom. 10, 14. 17.)

4. *Profecto fides et ecclesia Christiana est antiquior quam Scriptura N. T.* Atqui illa doctrinam aliquam supponit, quae ante Scripturam non potuit esse nisi traditio verbalis.

Constat, jam ante dispersionem apostolorum multos in Palaestina et vicinis regionibus sine Scriptura in Christum credidisse, praecepta religionis observasse, imo vitam pro fide Christi profudisse. Ipsa B. V. Maria vix primum evangelium, anno 42—50 scriptum, vidit; Stephanus et Jacobus Major martyres certe nullum N. T. librum noverant. Post dispersionem apostolorum ecclesia per universum orbem propagata erat, priusquam major pars librorum sacrorum scripta vel divulgata est. Quum Marcus (anno 53—54) et Lucas (58—60) evangelia sua, et Paulus primas (I. II. Thess. 53—54) et majores (Gal., I. II. Cor., Rom. 54—58) epistolas scripserunt, religio Christiana jam per totam Italiam, Graeciam et Asiam Minorem diffusa erat; et tempore epistolae ad Rom. scriptae (anno 58.) fides Romanorum jam in universo mundo celebrabatur. Ex omnibus epistolis appareat, ecclesias jam ante epistolas ad se missas viguisse, non autem per has demum fundatas esse. Imo multi sanguinem suum pro divinitate Christi fuderant, antequam Joannes eam in evangelio suo explicavit. Plurimi autem apostolorum, et omnes martyres Neronis ac Diocletiani partem canonis Novi Test. certe ignorarunt. Demum circa finem saeculi primi, quum omnes libri sacri scripti, et satis divulgati erant, traditio apostolica in duos fontes divisa est: Scripturam et traditionem. Non ergo Scriptura ecclesiam genuit, sed traditio (praedicatio) eam perinde ac Scripturam ipsam peperit.

5. *Antiqua ecclesia* persuasum habuit, traditionem esse proprium et veteriorem, Scripturam accidentalem et recentiorem religionis Christianae fontem.

S. Ignatius M. apostolorum discipulus fideles hortatur »ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit«. (Ap. Euseb. H. E. III. 36.) S. Irenaeus, Polycarpi, discipuli Joannis apostoli discipulus, de natura et auctoritate traditionis ex industria disserit et inter alia dicit: »Quum ad eam traditionem, quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis

custoditur, provocamus eos (haereticos), adversantur traditioni. »Quid si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Multae gentes barbarorum in Christum credunt sine charta et atramento... veterem traditionem diligenter custodientes.» (Adv. haer. III. c. 2. et 4.) S. Epiphanius ait: »Sed et traditione opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt.» (Haer. LX. c. 6.) S. Chrysostomus docet: »Est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam (apostoli), sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Est traditio, nil quaeras amplius.» (Hom. in II. Thess. 2, 14.) S. Augustinus ait: »Sunt multa, quae universa tenet ecclesia, et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.» (De bapt. contr. Donat. V. c. 23.) Vincentius Lirinensis regulam praescribit: »Id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est etenim vere proprieque catholicum.» (Common. c. 3.) Idem docent S. Polycarpus, Hegesippus, Clemens Alex., Tertullianus, Origenes, S. Cyprianus, S. Hippolytus, S. Athanasius, S. Basilus, S. Gregorius Nyss., S. Hieronymus, uno verbo omnes Patres et scriptores antiquae ecclesiae. Huc adde, quod controversiis de doctrina ortis, antiqua ecclesia traditionem apostolicam semper investigavit.

6. His etiam concilia accidunt. Concilium Nicaenum II. (anno 787.), »traditiones scripto et sine scripto sancitas illibatas servare praecepit. Et Concilium Tridentinum declarat: (veritatem revelatam) »contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.» Synodus »omnes libros tam Vet. quam Novi Test.... necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in ecclesia cath. conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.» Si quis autem libros ipsos... pro sacris et canonicis non susceperit et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.» (Sess. IV. decr. de can. script.) Et Concilium Vaticanum ait: »Fide divina et catholica omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur.» (Const. Dei Filius, cap. 3.)

Scriptura igitur aevo apostolico fons fidei non fuit, quum partim nondum esset, partim plurimis non innotuisset. Atqui